

QL
523
N3
F19





ALBERT R. MANN
LIBRARY

AT

CORNELL UNIVERSITY



COMSTOCK
MEMORIAL LIBRARY
of
Entomology

DATE DUE

RETURN TO

ENTOMOLOGY LIBRARY
Cornell University
Ithaca, N. Y.

Cornell University Library
QL 523.N3F19

Hydrocorides et naucorides Sueciae.

3 1924 018 289 870

ent

du Dr Maurice R
H N° 46

HYDROCORIDES ET NAUCORIDES SVECIÆ.

Quarum Descriptionem

Cons. Ampl. Fac. Phil. Lund.

PRÆSIDE

CAROLO FR. FALLÉN,

Hist. Nat. Prof. Reg. et Ord.
Reg. Acad. Scient. Svec. Membr.

pro

LAUREA

Publicæ disquisitioni subjicit

JOHANNES GUSTAVUS LILJEGREN,
Ad Museum Histor. R. Acad. Amanuensis.

In Lyceo Carolino d. xiv Maji MDCCCXIV.

LUNDÆ, MDCCCXIV.
LITTERIS BERLINGIANIS.

Konungens

Trotjenare, Professoren, Prosten och Kyrkoherden

Högärevördige och Höglärde Magister

HERR

NILS S. SINIUS,

samt

Professorskan

Högädla Fru

SIGRID CATH. SINIUS,
född ARESCHOUG.

För hvarje säll och lycklig dag,
Som Ni inom Er krets mig slutit,
För hvarje ömhets prof jag njutit,
Ett tacksamt offer helgar jag.

Men stum är ofta känslans röst
Och saknar uttryck många gånger:
Den tysta önskan från vårt bröst
Dock tolkar mer än våra Sånger.

Må då Försynen skydda Er,
Samt Edra ödens lycka leda,
Åt Edra dagar lugn bereda!
Jag önskar det — och kan ej mer.

JOH. GUST. LILJEGREN.

342

In plerisque Insectorum Ordinibus quædam sunt vel Familiæ vel Genera, quorum singulæ Species ab incunabulis, & sub forma larvarum & sub forma imaginum, in aquis vitam degunt. Hujus naturæ in Coleopteris sunt Hydrophili, Gyrini, Dytisci; genera tota aut eorum aliquot species ut taceamus, quæ vel plantas aquaticas in deliciis habent, & in his Elophori, Parni, Heteroceri omnes, Rhynchænique plures; vel quæ litora & loca uliginosa amant, & in his Elaphri omnes, Carabi plures &c. — Sic in Ordine Neuropterorum plurimas invenies species, quæ in aquis, vel saltim in uliginosis a tenera ætate versantur, quarum tamen imagines aquas propter novam progeniem deponendam circumvolant. — Sic quoque in Ordine Dipterorum maxima adest Generum copia, quorum species sub statu larvarum in aquis nutriuntur & incrementum capiunt. In his Tipularii, Hydromyzides, Syrphici & multi Empidii Muscidesque &c. Neque in Ordine Apterorum species desiderantur aquatiles, etiamsi Entomostraca Müll. & Cancros Linn. ab hoc Ordine excludere velles, utpote quæ Classem a reliquis animalibus diversam, sub nomine Crustaceorum Latr. constituerent a). Nec Ordini Hemipterorum desunt in-

a) Crustacea respirant branchiis, Insecta tracheis. Quaedam tamen Insecta in aquis degentia, ex. gr. Ephemeras, sub statu larvarum, propter respirationem organis branchiaeformibus

secta aquatica. Etenim genera illa Linneana, Nepa & Notonecta, Cimicidum quasdam species ut prætereamus, per omnem metamorphoseos statum, in aquis vivunt. Imagines tamen perfecte declaratas, magnisque pro volatu alis instructas, hospitium interdum commutare, tempore scilicet nocturno, verisimillimum putamus.

Hæc autem genera diversa, ad methodum recentiorum Insecta disponendi (quam usui maxime convenientem omnino judicamus) in plura distributa, in duas familias diversas divisimus, species earum Svecanas, descriptionibus illustratas publici juris jam facturi. Neque hanc commentationis materiem veris Faunæ Svecicæ Amicis fore omnino ingratam exspectamus.

Hy-

esse instructa, satis constat. Conf. Cuvier Dyrhistorie 2. p. 130. Haec autem organa in stigmata s. spiracula dein abeunt, haud aliter atque branchiae larvarum Salamandrarum et Ranarum, quae post peractam metamorphosin in organa pulmoniformia mutantur. Variam praeterea esse stigmatum structuram situmque spiraculorum diversum, ex observationibus liquet. Sic in Hydrocoridibus et Naucoridibus vix nisi setae caudales locum spiraculorum tenere videntur. Haec vero spiracula supra superficiem aquae per intervalla dirigunt harum familiarum et larvae et imagines.

Hydrocorides.

Rostrum capitis apici insertum. Antennæ brevissimae sub capite latitantes. Membrana hemelytrorum nervosa, decussatim imposita. Tarsi 1—2-articulati.

Corpus oblongo-ovatum, depressum, planum. Cauda biseta canalem format respiratorium, saepe longissimum. Victus e rapina in aquis. Motus tardus. Volatus nocturnus. Larvæ a structura Imaginum subsimili mox cognitae.

Ranatra Corpus angustatum: thorace cylindrico, emarginato. Pedes elongati, simplices.

1. R. linearis cauda biseta corporis longitudine; thorace unicolore.

Fabr. Rhyng. 109. 2. Ent. Syst. 4. 64. 2. Nepa Linn. Fn. 908. De Geer Ins. 3. 369. t. 19. f. 1, 2. Frisch. Ins. 7. 24. t. 16. Sulz. Hist. Ins. t. 10. f. 4.

Habitat in aquis apud nos rarissime. D. à Linné.

Corpus lineare, convexum, cinereum: capite parvo. Tibiæ anticae in medio unidentatae, posticae utrinque ciliatae.

Not. Hanc speciem non vidimus viventem.

Nepa Corpus ovatum, planum: thorace immarginato, antice late emarginato. Femora antica incrassata.

1. N. cinerea thoracis margine postico truncato; cauda biseta dimidio corpore breviori.

Linn. Fn. 906. De Geer Ins. 3. t. 18. f. 1. Frisch. Ins. 7. t. 15. Fabr. Rhyng. 107. 8. Ent. syst. 4. 63. 7.

Habitat in aquis stagnantibus frequens.

Mas et Fem. Obscure cinerea, abdomine supra rufo, in medio nigro. Thorax subquadratus, antice paullo angustior, basi

 pro

pro capite parvo emarginatus; postice truncatus, (nec ut in speciebus quibusdam concoloribus exoticis pro scutello recipiendo distincte emarginatus;) dorso inaequalis, profunde sulcatus et foveolatus. Punctum utrinque baseos elytrorum albidum. Membrana reticulato-nervosa. Setae anales pallidae, abdomine breviores. Pedes cinerei, s. fusco et albo variegati, tibiis teretiusculis.

Not. Differentia a colore solum desumta ad species discernendas minime valet. Potius nimirum ad thoracem apice vel truncatum vel magis minusve emarginatum, ut et ad tibias vel compressas vel teretes attendendum est. Proportio setarum notam mere vacillantem forsitan praebet?

Naucorides.

Rostrum capitis apici insertum. **Antennæ** brevissimæ, absconditæ. **Membrana** hemelytrorum enervis. **Tarsi** 2-articulati.

Corpus convexum. Setae caudales breves. Victus e rapina in aquis. Motus natatorius velox. Larvae a structura imaginum subsimili dignoscuntur.

Naucoris Corpus obtuse ovatum: thorace scutato. Pedes posteriores crebro spinulosi ciliatique.

1. **N. cimicoides** supra obscure virescens, capite antice rotundato thoraceque fusco flavoque variis.

Fabr. Rhyng. 110. 1. Ent. syst. 4. 66. 1. Nepa Linn. Fn. 907. De Geer Ins. 3, tab. 19. f. 8, 9.

Habitat in pratis humidis.

Mas et Fem. Caput latitudine thoracis, insertum. Thorax scutatus, lateribus prominulis diaphanis integris; antice pro receptione capitis latissime emarginatus. Caput praeterea et thorax semicirculum fere formantia, glabra, nitida, pallida, fusco-maculata: linea thoracis postica unicolore. Pectus flavum nigro-maculatum. Venter subfuscus, tomentosus, in medio

dio subcarinatus, margine serratus et ciliatus: segmento scilicet singulo dente terminato. Hemelytra fusco-virescentia et membrana nervis perspicuis destituta. Alae albae. Pedes flavi, femoribus compressis, ad receptionem tibiarum falcatarum canaliculatis; anticis crassis, subtrigonis. Pedes intermedii et postici dense spinosi: tarsis ciliatis.

NOTONECTA Caput obtusum. Scutellum triangulare. Carina ventris media ciliata.

1. N. glauca elytris griseo-lutescentibus, margine fusco-punctatis.

Fabr. Rhyng. 102. 1. Ent. syst. 4. 57. 1. Linn. Fn. 903. De Geer Ins. 3. 382. 5. t. 18. f. 16, 17. Panz. Fn. 3. t. 20.

Habitat in aquis stagnantibus ubique frequens.

MAS et FEM. Longit. 10—12 lin. Corpus oblongum, supra convexum. Caput et thorax albo-flava. Scutellum obscure nigrum. Abdomen dorso nigrum, versus apicem flavicans; subtus nigrum: lateribus et carina media ventris longitudinali dense ciliatis. Hemelytra griseo-flava, minime nitida, leviter tomentosa, ad costam punctis pluribus nigris et in cruce macula nigra notata; apice membranacea. Pedes pallidi, natatorii. Femora subtus leviter serrata; anteriora brevia, postica elongata, angustata, extus ad apicem dente instructa. Tibiae tarsique, postici inprimis intus ciliata. Oculi oblongi, glauci, nitidissimi, nigromaculati.

2. N. furcata hemelytris nigricantibus: vittis utrinque duabus baseos griseo-lutescentibus.

Fabr. Rhyng. 102. 2. Ent. syst. 4. 58. 2.

Habitat cum praecedente in fossis ad templum Closter Lundae, rarior.

MAS et FEM. Statura N. glaucae, a qua differt: colore hemelytrorum nigro, summo margine maculisque duabus baseos oblongis flavicantibus, quarum altera partem interiorem pingit, altera brevior in parte exteriori ad medium hemelytri descendit. Alae et pedes ut in N. glauca.

3. N. **lutea** thorace, scutello hemelytrisque pallescentibus: vitta costali nigricante.

Müller Zool. Dan. Prodr. 1176. Weber u. Mohr Reise durch Schwed. p. 669.

Habitat in Westrogothia. D. Gyllenhal; in Smolandia. D. Zetterstedt.

Mas et Fem. in copula observata. N. glauca paullo brevior. Oculi glauci fusco-maculati. Caput et thorax pallida, nitida. Scutellum thorace brevius et minus quam in speciebus nuper allatis. Corpus subtus fuscum: margine et carina ventris media longitudinali confertim ciliatis. Hemelytra pallida, non nitida, tomento brevissimo obducta, juxta marginem exsertum vitta contigua, quae apicem non attingit, nigricante picta; membrana similiter atque in conspeciebus apice emarginata. Pedes pallidi, subtus fusciores.

4. N. **minutissima** grisea, capite fusco; hemelytris truncatis.

Fabr. Rhyng. 104. 12. Linn. Fn. 905.

Habitat in scaturiginibus et fontibus D. à Linné.

"Corpus arenulae magnitudine, alis et elytris cinereis. Depressa est, dorso fusco, velut transverse striata. Maculae elytrorum fuscae, longitudinales. Pedes posteriores longiores, primum par minimum" Linn.

Sigara Caput obtusum. Scutellum vix ullum. Carina ventris nulla.

1. S. **striata** supra fusca, thoracis lineolis transversis hemelytrorumque maculis numerosissimis hyalino-flavicantibus.

Fabr. Rhyng. 104. 2. Ent. syst. 4. 60. 2. Notonecta Linn. Fn. 904. De Geer Ins. 3. 389. 6. t. 20. f. 1, 2.

Habitat ubique frequens.

Mas et Fem. Not. lutea paullo minor. Caput lutescens. Oculi magni triangulares, obscure grisescentes, immaculati. Thorax con-

convexus, antice rotundatus, postice in angulum obtusissimum productus, scutellum fere totum obtegens, nitidus, fuscus: lineolis plurimis flavescentibus transversim striatus. Abdominis dorsum nigrum: margine ciliato flavo, nigro-maculato. Corpus subtus flavum. Hemelytra incumbentia, fusca, nitida, maculis numerosissimis undulatis, minime contiguis, flavo-hyalinis adspersa: membrana concolore. Margo hemelytrorum exterior inter nervos albus et quasi sulcatus. Hic autem sulcus non longe pone medium costae desinit. Alae amplae, albidae. Pedes flavi, antici breves, validi: tibiis brevissimis, tarsis longe ciliatis. Femora intermedia elongata, tenuiora: tibiis tarsisque extus ciliatis, intus subspinulosis. Femora postica crassa; tibiae femorum longitudine, intus ciliatae; tarsi elongati, dilatati, compressi, utrinque ciliati.

Not. Pictura hemelytrorum optime cernitur, si elytron ab ipso corpore elevatur.

2. S. **undulata** supra fusca, thoracis lineolis hemelytrorumque undulis transversis flavo-hyalinis.

S. striata var. minor Fabr. Rhyng. 104. 2. Noton. striata. Linn. forsitan vera.

Habitat in aquis cum praecedente frequens.

Mas et Fem. in copula observata. S. striata multo minor, longitudinem ejus dimidiam saepe attingens; alias ei simillima, praeter picturam hemelytrorum transversim undulatam, sulcumque costalem usque ad apicem elytri extensum. Corpus subtus vel flavescens vel nigricans: basi ventris maculisque pectoris nigris. Abdominis dorsum nigrum, margine flavum. Pedes flavi.

Var. α elytris totis undulatis.

Var. β elytris interne undulatis, externe maculis non contiguis confertim adspersis.

Obs. Undulae flavae in parte elytri interiori etiam in varietate β valde conspicuae sunt; at in parte exteriori non nisi maculae undulatae, fascias minime constituentes, (non aliter atque in S. striata) cernuntur. Corpus juniorum flavescens, ventre pectoreque immaculatis.

3. S. **coleoptrata** thorace angusto hemelytrisque fuscis impunctatis: margine exteriori pallido. Fabr.

Fabr. Rhyng. 105. 4. Ent. syst. 4. 60. 3.

Habitat in Vestrogothia. D. Gyllenhal. Prope Holmiam D. Haeffner. Ad pontem Scaniae, Höjebro dictum, hanc speciem sat frequentem observavit D. Zetterstedt.

Mas et **Fem.** Minuta, longitudine S. undulatae dimidia. Caput magnum, thorace duplo longius, pallidum: oculis subtrigonis, obscuris. Thorax angustatus. Elytra longitudinaliter infuscata, neque punctis nec maculis picta. Foveola tamen intra nervos costales adest albida, ad apicem elytri fere extensa. Membrana apicis coriacea, ab ipso elytro non discernibilis. Corpus subtus et pedes pallida.

Obs. Caput hujus generis et Notonectae antice rotundatum, crassiusculum, Naucoris magis depresso-attenuatum; Thorax in Sigara convexus, immarginatus, postice in angulum obtusissimum producitur. Membrana hemelytrorum coriacea. Pedes natatorii, utrinque confertim et brevissime spinulosi s. ciliati; antici breves, validiores: tarsis longe ciliatis; femora intermedia ceteris longiora; tarsi postici elongati, dilatati, compressi. Lamellae binae caudales horizontales, conniventes, anum subtus tegunt.

Motus Notonectae et Sigarae, forsan quoque Naucoris, natando resupinatus.

